



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Cap. I. De Sacramentis in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

# TERTIÆ PARTIS PARS SECUNDA DE SACRAMENTIS.

**D**E singulis Sacramentis in genere & specie tractatur ex professo in huius Operis Tom. II. Part. III. à Tractatu II. usque ad Tractatum V. qui est de Præceptis: & Tract. I. fusi de Atritione in Sacram. penitentia. Item, de Sacramentis singulis contra Hæreticos, sive Sæctas varias, in Part. I. Tract. II. cap. II. pag. 67. pag. 72. pag. 78. & sequentibus. Cap. 3. &c. de Eucharistia, Missa, Communione sub utraque specie, & Confessione Sacramentali, pag. 70.

Hic tantum restant addendæ in singulis quædam Quæstiones præsertim speculativæ ad perfectum Theologiæ universæ complementum, servato materiæ consuetu in Scholis decursu.

## CAPUT I.

### De Sacramentis in genere.

**I**N statu Naturæ integræ, sive Innocentiæ defacto nulla fuerunt Sacramenta. Est Theologorum sententia communis. Ratio est, quia Deus prævidit statum Innocentiæ in Adamo & Eva brevissimo tempore duraturum; ergo non est credibile pro illo statu instituisse Sacramenta quorum nullus futurus erat usus: cum etiam in Genesi ubi agitur de primorum Parentum creatione ac statu, talium Sacramentorum mentio non reperitur.

Dices, matrimonium Adam & Evæ vocari videtur Sacramentum ad Ephes. 5.

Resp. Sacramentum ibi latius sumi pro quovis signo rei sacræ; nec ullam sanctitatem per se tunc attulit matrimonium, nec postea usque ad Christum, unde nec Sacramentum fuit, quod est signum suo usu sanctificativum.

Sed queritur porro, An fuisset institutio & usus Sacramentorum in statu naturæ integræ si status ille perdurasset?

Resp. Probabilius illa non futura, etsi hominum genus in eo statu perseverasset. Ita D. Thom. q. 61. a. 2. pluresque Theologi, quos citat & sequitur *Amicus disp. 3. n. 14.* Contra *Suarez, Lugo &c.* Probat, quia licet Deus possit velle quod est minus conveniens, v. g. non creare mundum, quamvis creare sit bonitati ejus convenientius; ex eo tamen quod nunc sciamus Deum in isto statu daturum fuisse ordinariè homini alia dona spiritalia supernaturalia independenter à rebus corporeis, probabiliter inferimus illum ad hoc nunquam usurum fuisse Sacramentis illis sensibilibus.

Dices, Permanente in statu Innocentiæ toto humano genere potuissent aliqui in particulari peccare; ergo pro his fuisset institutum aliquod remedium, quo resurgerent, ergo aliquod Sacramentum: illi enim per peccatum excidissent jam è statu Innocentiæ, & incidissent in statum illi similem in quo nunc homines versantur.

Resp. Concessio ant. (cum gratis asseratur Adamo

non peccante omnes homines confirmandos fuisse in gratia, contra auctoritatem *D. Thom. 1. part. q. 96. a. 2.* ac fere omnium Theologorum) negando tamen consequentiam. Quia posset esse in illo statu remedium peccati absque Sacramento, nam & Adam post peccatum sine Sacramento justificatus fuit, & multi alii in natura lapsa, absque usui Sacramenti per solum actum contritionis justificantur, quale remedium potuissent & lapsis illis sufficere.

In statu naturæ lapsæ, suppositâ voluntate Dei de illa salvanda per fidem Christi redemptoris necessariam, vel omnino convenientius fuit institui Sacramenta.

Probat, quia in hoc statu fides Christi redemptoris sine aliqua externa revelatione facta per res corporeas haberi nequit: in statu verò innocentie Deus independenter à rebus corporeis, scientiam, alia que dona spiritalia infundebat hominibus, sicut & Angelis, de hoc enim statu ait Apostolus ad *Rom. 10.* quomodo credent ei quem non audierunt? Ergo convenientissimum erat ut ceremoniæ huic fidei obediendæ conjuncta esset singularis aliqua utilitas obeuntis; utilitas autem illa debuit esse non corporalis, quia res sacræ non debent ordinari ad quæstum aut commodum corporis; ergo utilitas spiritalis, consistens in aliquo Sanctitate usu Sacramentorum conferenda.

Tempus legis naturæ dicitur illud, quod fuit à peccato Adami usque ad legem Scriptam, quæ data est per Moysen, non quod homines illo tempore nullam aliam legem, aut præceptum à Deo quam ipsam naturam rationalem accepissent (statim enim post diluvium præcepit Deus hominibus *Genesios 9.* ne carnem cum sanguine comederent, quæ erat lex positiva) sed quod nulla esset Dei lex scripta, homineque regerentur solis naturæ legibus, paucisque præceptis divinis, retentis per memoriam, ac traditionem.

Pro justificatione parvulorum in statu legis naturæ, non requirebatur applicatio aliqua externa, quæ haberet, verbo vel facto, sed sufficiebat fidem ab aliis illis applicari actu interno. Ita post *Bonaventuram, Richardum, Dominicum Sotum, & alios, Vasquez, Disp. 165. Cap. 3. & Huviado, Disp. 3. difficultate. 4. & que manifesta sententia S. Thomæ in 4. Distincto. 16. q. 2. a. 9. quæstiuncula 2. & in 3. parte q. 7. a. 4. ad 2.* Quia Patres, ex quibus solis habemus ea quæ de justificatione parvulorum in lege naturæ novimus, non requirunt signum externum, sed sola tali fide parentum ajunt eos solitos justificari. *Gregor. lib. 4. moralium cap. 30.* quod, inquit, apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii. Ita & Patres alii.

Dices, Fides adulti non potuit prodesse parvulo, nisi illi applicaretur; atqui hæc applicatio fieri debebat per ceremoniam externam circa ipsum parvulum, ergo &c.

Respon-



Respondeo, negando minorem, applicari enim fidem huic parvulo, nihil est aliud quam per fidem determinari Deum ad dandum huic gratiam remissionem peccati; ut autem determinetur ad hoc Deus, non est opus caeremonia externâ, sed sufficit actus internus determinatè versans circa hunc parvulum, cum Deus actum internum videat, & ab eo possit moveri ad conferendum gratiam justificationis.

**CIRCUMCISIO**, quae fuit post legem Mosai- cam, sive scriptam, per se, sive vi institutio- nis suae, non habebat vim justificandi, ut jam habet Baptismus, sed solum instituta erat ut esset signum sensibile eorum qui erant de populo Dei. Ita *D. Thom. q. 90. a. 7. Ingo disp. 5. n. 4. Hurtado disp. 3. difficultate 9. Lessius de Sacram. q. 70. art. 9. Contra Scotum, Henri- quez, Bonacinam aliosque.*

Sed *infantes masculi* Hebraeorum communiter justi- ficabantur per Circumcisionem, sumptam *materia- liter*, prout scilicet illa signo justificativo legis natu- rae successit. Circumcisio autem illa die octavo in- fantibus conferebatur. Ita *D. Thomas alique Scho- lastici.*

Unde colligi potest, si ante diem octavum peri- citaretur infans, non debuisset praeveneri tempus Cir- cumcisionis, sed fide v. g. parentum iis applicatâ po- tuisse salvari, sicut feminae omnes, quae non circum- cidebantur: adultos verò justificatos formaliter tantum per actum charitatis docet *Lugo hic disp. 5. num. 73. Sc. contra Scotum, Durandum aliosque.*

**Baptismus Joannis** aliquo modo extraordinarium fuisse Sacramentum, non ut Baptismus Christi, do- cent communiter Theol. Quia institutus à Deo, ut re- statur ipse *Joannes*, qui misit me baptizare &c. scilicet ad figurandum Christi baptismum. Quod saltem ali- quid sanctitatis externae causaret, quemadmodum ablutione aliae ante à Deo per Moysen instituta, du- bium non videtur, cum particularis fuerit Dei missio ad illum conferendum.

**Septem sunt LEGIS NOVAE Sacramenta**, & neque plura, neque pauciora, contra Hæreticos recentio- res, qui ferè præter Baptismum & Eucharistiam, nul- lum agnoscunt. Probat autem ex consensu totius Ecclesiae tam Graecae quam Latinae in Concilio Flo- rentino &c. *De quibus supra hujus Operis Tom. I. Tract. II. cap. 11.*

**Sacramenta illa causant gratiam & characterem** in instanti sui *terminativo*. Quia isto instanti, non ante, habent completam significationem, & sunt totaliter in facto esse. Hoc porro instans, ex communi Phi- losophorum doctrinâ de inceptioe, & delitione en- tis successivi, dicitur *extrinsecum*, sufficitque ad cau- silitatem moralem, quae non requirit actualem exi- stentiam causae dum causat effectum suum, scilicet gratiam in suscipiente.

Neque ex eo quod Sacramentum non causet gra- tiam, nisi quando totum est in facto esse sequitur, formam illius in praesenti expressam non posse verifica- ri: Quia ad hoc sufficit moralis coexistentia causae & effectus, sive quod producatur effectus immediatè postquam prolata est forma istius effectus causativa.

*Dices*, quid si suscipiens Sacramentum in illo in- stanti extrinseco quo conferenda esset gratia, moriatur?

Respondeo, non esse absurdum admittere Sacra- mentum illo casu carene effectum, cum desit conditio re- quisita ad operationem Sacramenti, nempe status via-

R. P. Arsdok. Tom. II.

toris pro illo instanti, quo Sacramentum debet opera- ri: Adde, hunc casum esse moraliter impossibilem, aut pertinere ad divinam providentiam non permittere ut posito Sacramento eo præcisè instanti moriatur.

**REVIVISCIT Baptismus informis**, & probabilius alia Sacramenta obice remoto, ad *remissionem culpae*. Colligitur ex verbis *D. Augustini*, Sacramentum & in homine justo, & in homine injusto semper sanctum est, quod neque aequitate alicujus augetur, neque ini- quitate minuitur. Et sanè aliàs justificatio aliquando nec per Baptismum, nec per illius votum fieret, cujus oppositum ex Tridentino colligitur.

Reviviscit etiam ad *remissionem peccati*, quod neces- sariò admittendum est quando baptizatus sine attri- tione de venialibus statim moritur post Baptismum, cui vi Baptismi poena post mortem remitti debet, testante *Florentino*, quod baptizati morientes, antequam cul- pam aliquam committant, statim ad regnum Caelo- rum & Dei visionem perveniunt. Unde etiam sequit- ur quod reviviscat ad remissionem *venialis culpae*, sine qua nunquam remittitur illius poena: hæc tamen rem- issio habitualis venialium in reviviscencia fit sine sa- cramentali gratiae infusione, cum obex venialium rem- issionem impediens, non sit etiam obex gratiae.

Porro, ex ratione *D. Augustini* pro Baptismo supra allata colligitur, quod ad omnem effectum revivi- scant etiam *Sacramenta cetera informia*, quod in multis credibilis fit ex eorum interabilitate aut absolutâ, aut saltem pro tempore aliquo, ne semel indignè suscipiens semper effectu illorum carere debeat. Reviviscunt ve- ro similiter ad *majorem gratiam* in homine tunc *magis disposito*; sic enim fit in prima susceptione, adeoque convenientius dicitur sic fieri in reviviscencia con- sequenti.

**Dispositio** necessaria ad reviviscendum pro Sacra- mentis merè *vivorum*, est status gratiae. Pro Sacra- mentis *mortuorum*, si obex sit *negativus*, requiritur il- la quae ab initio sufficere sset, adeoque saltem attritio: aliàs enim nunquam se solis ad gratiam primam revivisce- rent. Si ad obicem negativum accesserit peccatum post susceptionem commissum, opus est contritione vel con- fessione: cum nullum Sacramentum peccatis futuris tollendis subserviat. Eadem opus est, si obex in susce- ptione fuerit *positivus*, quale est peccatum prius naturâ vel concomitanter in susceptione commissum: non po- test enim tale peccatum per istud Sacramentum remit- ti: Quia forma non videtur cadere super peccata, re- spectu quorum tunc impossibilis est retractatio.

Dum Sacramentum *mortuorum* per *contritionem vel confessionem reviviscit*, gratia confertur duplex, & qui- dem simul naturâ: licet enim contritio & confessio prius naturâ existant, non tamen prius agunt, quam reviviscat Sacramentum, eò quod hujus effectus non prærequirit in suscipiente statum gratiae, sed tantum dispositionem in actu primò talem, ut peccatum rem- ittatur simul ex vi dispositionis, & Sacramenti reviv- iscentis.

CAPUT II.

De Baptismo, Martyrio, Confirmatione, Eu- charistia.

§. I.

Baptismus, Martyrium, Confirmatio.

**I**nstitutio Baptismi probabilius tunc primum fuit, cum Christus per discipulos baptizaret in Judæa, uti re- fertur, *Joan. 4.* H 2 Ob-

vide  
kin

theo-  
logia  
D. IV